

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée en 1766 chez Henricus Beman, à Rotterdam.

ANTONII GOVEANI EPIGRAMMATA.

D. FRANCISCO VALESIO REGI FRANCORUM SEMPERAUG. LIBELLUS.

E_1 v.1 Saepe Patrem, tuus ut fierem, Francisce, rogavi :
 2 o justas quoties respuit ille preces.
 3 Addebam precibus lacrimas ; hic ille : "Quid, inquit,
 4 pessime, quid ? Vitam promeruisse putas ?"

CATHARINAE.

E_2 v.1 Sume patrocinium nostri Catharina libelli,
 2 cum Domino valde qui cupit esse tuus.
 3 Quod non ante dedi, dare nunc Catharina licebit.
 4 In Dominum scis me juris habere nihil.

LIBELLO.

E_3 v.1 Esse novum si te quisquam, periture Libelle,
 2 clamitet, aetatem despiciatque tuam ;
 3 si licet, et fas est, illi tu dicito, Lector
 4 heus bone, quid ? Veteres nonne fuere novi ?

RODORICO FERNANDO, JO. LUSITANIAE REGIS LEGATO SANCTISS.

E_4 v.1 O Decus, o patriae, o gentis nova gloria nostrae,
 2 vatibus argumentum ingens variumque futuris,

3 tentarem, Fernande, lubens te imponere Olympo,
 4 et laudum cumulos dicendo aequare tuarum,
 5 haec tua ni virtus hominum laude altior omni
 6 erigeret sese, et caput inter poneret astra.

ANDREAE GOVEANO FRATRI.

E_5 v.1 Miraris, genio sine
 2 quod scribo, invidiae sollicitus nihil ?
 3 Mi frater, genio sine,
 4 non est invidiae sollicitus liber.

AUSONIO POETAE BURDIGALENSI.

E_6 v.1 Salva tibi veterum maneat modo regula morum,
 2 ludat, ais, mixtis sobria Musa jocis.
 3 Casta quidem Ausonio suerit sat vita, poetae,
 4 non fuerit morum regula prisca satis.

D. M. GUIDONIS RANGONII.

E_7 HUC ADES GALLORUM QUISQUIS, NO-
 MINI FAVES. GUIDO RANGINIUS, QUI
 ET NARURAE, ET VIRTUTI, ET GLO-
 RIAE, ET FORTUNAE VIXIT SATIS, SIBI
 SE VIXISSE PUTAT PARUM. CUR SI RO-
 GAS, GALLIAE VIXISSE SE NEGAT SATIS.

AMICIS.

E_8 v.1 Vestra licet dederim perituris nomina chartis,
 2 o mihi me multo pectora cara magis,
 3 nil me, nil miserum credo peccasse libellum :
 4 fungitur officio nostra Thalia suo.
 5 Quae, meruit quoniam, pereat cum vate, perire
 6 non meruere avida nomina vestra die.

SEBASTIANO GRYPHIO LIBELLUS.

E_9 v.1 Quod legor, et vivo, studiorum fida bonorum
 2 lima Gryphi, sane gratia multa tibi.
 3 Nam mihi semianimi praesto nisi forte fuisses,
 4 crede mihi, poteram non periisse semel.

LIENORAE REGINAE FRANCORUM MAXIMAE.

E_10 v.1 O fortunatam tanto te fratre sororem,
 2 horrescit cujus terra fretumque minas.
 3 O fortunatam tali tantoque marito,
 4 cui quod agat, Martem nil dare posse vides.

5 Utra tamen major laus est ? Me iudice, certe
6 altera virtutis, altera sortis opus.

D.M. BAROLLAE SENATORIS BURDIGALENSIS.

E_11 v.1 In quo certarunt Fortuna, Scientia, Virtus,
2 Barollae exiguus contegit ossa lapis.
3 Illa tamen, memori si quid modo fidimus aevo,
4 casurum nullo tempore nomen habent.
5 Si quaeris, tumulo quid non condantur eodem,
6 exiguo a tumulo non potuere capi.

CAROLO CANDELABRIO.

E_12 v.1 Dicitur a pica Cruceo Picardia : verum,
2 iudice me, nomen non habet inde locus.
3 Crediderim Pici ductum de nomine nomen ;
4 Martia gens etenim est, Martia Picus avis.

L. D. M. LUCILLAE.

E_13 v.1 Quos uno geminos partu Lucilla dedisti,
2 cernitur officio functus uterque suo.
3 Ille patris lacrimas miseri solatur, et ille
4 optavit tecum sustinuitque mori.

PINASSO.

E_14 v.1 Vix gramen, pinguem novit vix Mulus avenam
2 iste tuus, pinguis durat at ille tamen.
3 Vivere vel nihilo, te praeceptore, Pinasse,
4 non potuit Mulus non didicisse tuus.

CATHARINAE. E GAL. CLEM. MAROTTI.

E_15 v.1 Dum Catharina petis nive me candente, putabam
2 igne carere nivem, nix tamen ignis erat.
3 En, quid agam, fallax nivibus si conditur ardor,
4 si latet adstricta frigus, et ignis aqua ?
5 An Catharina meo vivit quae in corde favilla,
6 crescit frigoribus, vincitur igne pari ?

ARNOLDO LUCIO.

E_16 v.1 Si mihi nil debes, quid, Luci, indebita solvis,
2 sponte tua factus debitor ipse meus ?
3 Esse quid hoc dicam, nisi quod vis debitor esse,
4 ut possis isto creditor esse modo ?

D. M. ALDI MANITII ROMANI.

E_17 v.1 Si nescis cur quae cinerem tegit urna, Manuti,
 2 haec eadem Musas non tegit urna novem ;
 3 ignoras studio quanto perfecerit ille,
 4 incolumes possent ut superesse patri.

MARSIO.

E_18 v.1 Sollicitas rauco Mariam crebroque susurro,
 2 momentoque senex mille remandis "Ave".
 3 Hinc tibi promittis felicis praemia vitae
 4 securusque tui fata diemque manes.
 5 O quam te ludit fallax pietatis imago.
 6 Non orare putat labra movere Deus.

HUBERTO SUSANNAEO.

E_19 v.1 Quattuor ergo tibi Gallos placet esse Marones,
 2 visque tibi hos inter quattuor esse locum.
 3 Hac ratione potes quintum me dicere, sextum
 4 me si quis pejor esse poeta potest.

D. M. CIRETTI SENATORIS BURDIGALENSIS.

E_20 v.1 Cirettum patriae patrem, lumenque Senatus,
 2 tumulo sub exiguo vides.
 3 Cui si forte parem lato vidisset in orbe
 4 injuriae Mors vindicem,
 5 non patriae, uxori, natis, non legibus ipsis,
 6 fecisset hanc injuriam.

JO. CRUCEO.

E_21 v.1 Cum tonat, ad cellas trepido pede Vallius imas
 2 confugit. In cellis an putat esse Deum ?

D. MARGARITAE VALESIAE REGINAE NAVARRORUM MAX.

E_22 v.1 O regum soror, et conjunx, o altera partus
 2 sors magni, ingentisque, o ingens fratris imago,
 3 te canerem, nomenque tuum, nomenque tuorum,
 4 virtutemque aequatam astris, si pondera laudum
 5 tantarum exiguae possent attollere chartae.

JACOBO TEVIO.

E_23 v.1 Sepositas epulas pervestigasse culina,
 2 esse stupidi negas Tevi.
 3 Sepositas epulas pervestigasse culina,

4 naris, fateor, est laus Tevi.

CATELLO, CUI NOMEN PARIS.

E_24 v.1 Qui tantae voluit tibi esse nomen
 2 urbis deliciae, catelle, nostrae,
 3 virtutem ille tuam, et sagacitatem
 4 tanto nomine visus est vocasse.

PHILAENO.

E_25 v.1 Unde tui tibi tantus amor ? Compesce furorem.
 2 Res cum rivali nulla, Philaene, tibi.

ZOILO.

E_26 v.1 Zoile, vive, vale, nostroque ignosce libello ;
 2 nam simul ac morsus senserit ille tuos,
 3 quantum animis sese attolet, quantum efferet ore
 4 improbus ? Et durum dixeris esse Patrem,
 5 seque diu insontem foedas passum esse lituras ;
 6 ah nescis quid sit, Zoile, cura patris.

MARTIALI GOVEANI FRATRI.

E_27 v.1 Frater amice, tibi nostro dare carmina libro,
 2 esset in argutum mittere ligna nemus.

BACCHO.

E_28 v.1 Quid tibi, Bacche pater, non stat Zebedaeus ad aras,
 2 si caper est sacris victima grata tuis ?
 3 Par utriusque nefas, par est injuria, Bacche :
 4 hic est perniciēs vitis, et ille meri.

D.M. ANTONII GOVEANI AVI OPT. ATQUE MERITISS.

E_29 v.1 Ensem tuum, dextram tuam Mors horruit,
 2 illam, o ave, bellis inclytam Mors horruit.
 3 Nec ausa juvena congrēdi tecum integra,
 4 gravi senecta concutit vires prius.
 5 Quid laudis esse possit in victoria ?

LIBELLO.

E_30 v.1 - Parve liber, si te quisquam despexerit, illi
 2 tu dicito, Pater meus,
 3 quae bona sunt, scripsit doctis, mala scripsit amicis.
 4 - Quid, o homo, hic vides tuum ?

VENUS. E GAL. ANT. ALACRIS.

E_31 v.1 Me nudam Paris, et nudam me vidit Adonis,
 2 ille meus iudex, et meus alter amor.
 3 Verum ubi me Rhodius nudam vidisset Apelles ?
 4 Fabula : vidisset scilicet ille deam.
 5 Sic tamen ad vivum me qui depinxit, oportet
 6 nudatam Venerem viderit ille quoque.

CLAUDIAE BELNAEAE VENUS. IMITATIO.

E_32 v.1 Me nudam Paris, et nudam me vidit Adonis,
 2 ille meus iudex, et meus alter amor.
 3 Verum ubi ego, Belnaea, tuo sim visa Parenti ?
 4 Fabula. Vidisset scilicet ille Deam.
 5 At vero talem genuit quicumque, necesse est
 6 nudatam Venerem viderit ille quoque.

JO. MICHAELI.

E_33 v.1 Fugisti, Michael, ferrum flammamque crucemque.
 2 An non tibi vita pes melior ?

JO. CRUCEO.

E_34 v.1 Argutis epigrammatum libellis
 2 toto notus in orbe Martialis
 3 quaeris qui fuerit, negasque notum
 4 argutis licet usque, et usque chartis,
 5 ignotis hominem fuisse terris.
 6 Mendacem arguis, ac tenes aperte ;
 7 Hispanum tamen esse schema nescis.

JO. ALBENATIO.

E_35 v.1 Si luitura viris licuit dixisse Latinis,
 2 Hispanis cur non eluitura licet ?
 3 An licet, et licuit semper, semperque licebit,
 4 quique licere negat, nescit is esse luo ?

AEMYLIO FERRETO LIBELLUS.

E_36 v.1 Emendaturis me terque quaterque favillis
 2 devovit durus, difficilisque Pater.
 3 Spero equidem, nec spes animum deludet inanis :
 4 ignovit, dicas me placuisse tibi.

CATHARINAE.

E_37 AB AMORE MERCEDEM EXSPECTEM,
 QUI NEQUE QUANTUM SIM PROMERI-
 TUS, VIDET, NEQUE EXPENDERE PER
 AETATEM POTEST ? EN QUID SERVIRE
 ET PUERO, ET CAECO ?

POSTHUMO.

E_38 v.1 Contentus esse filiabus, Posthume,
 2 auctus duabus sorte jam potes tua.
 3 Plus quam petebas accepisti, Posthume.

JO. ROMANO CREMONENSI GASALINO MAJORITANO.

E_39 v.1 Qui, Romane, ibi medicas Deus obtulit artes,
 2 invidit Aesculapio.

STEPHANO DOLETO.

E_40 v.1 Te quid non laudem forsán, Dolete, requiras.
 2 Id me tu melius facis.

BLANCHAE DURAEAE JAC. REGINALDI ALENII UXORI INTEGERR.

E_41 v.1 Quae tua nobilitas, virtus, prudentia, morum
 2 suavitas, quae gratia,
 3 quae porro tibi mellitae facundia linguae,
 4 tu dicere queas optime.

HIERONYMO SORIO.

E_42 v.1 Si Lusitanas, Sori, penetrarit ad urbes
 2 squallidus, impexus, exiguusque liber,
 3 est meus, arripito, Patrique remittito caesum.
 4 Quas meruit poenas non dedit ille mihi.

D. M. THOMAE MORI.

E_43 VITAM TIBI TUA THOMA MORE IN-
 TEGRITAS ADEMIT, GLORIAM VERO PE-
 PERIT SEMPITERNAM. CINERI PRO-
 DEST, QUAE VIVO NON PROFUIT INNO-
 CENTIA.

NAUTA.

E_44 v.1 Per freta cum veheret Regem diversa, patremque

2 summersum tumidis Navita fleret aquis,
 3 Rex illi : "Te quis tantus furor egit, inepte,
 4 ausus ut infido sis dare vela mari ?"
 5 Cui vector : "Te quid molli, Rex optime, lecto
 6 credis, ubi patrem scis periisse tuum ?

ANDREAE GOVEANO FRATRI.

E_45 v.1 Quem cepi, frater, leporem, tibi ponitur ; an non
 2 id vere est leporem perdere, et accipere.

LECTORI LIBELLUS.

E_46 v.1 Sum brevis : hac una spero virtute placere.
 2 Est vitii, Lector, cum brevitate minus.

LIBELLO.

E_47 v.1 Parve liber patriasque manus, patremque perose,
 2 te si lucis amor liberioris habet,
 3 i, sequere ignotasque manus et inhospita tecta,
 4 qui multo poteris tutior esse domi.
 5 Quo tamen effugias alienae verbera dextrae,
 6 peccavit dices, lector amice, pater.

PHAEDRO.

E_48 v.1 Nescis cur veteres nequeas superare canendo ?
 2 (versus Graece scriptus)

SANCTO AMANTI EQUIITI HIEROSOLYMITANO MERITISS.

E_49 v.1 O sancte, o terrae ac pelagi defuncte periclis,
 2 o invicte animo, o magnum patriae ornamentum,
 3 ten" ego commendare queam ? Jovis aurea proles
 4 Musae alium date Maeoniden, en alter Ulysses.

MAXIMO.

E_50 v.1 Importunus ego dicor tibi, Maxime, semper,
 2 caseolus petitur cum tuus iste mihi.
 3 Caseolum quid non mittis mihi, Maxime, totum ?
 4 Aut quid das vitio quod facis ipse mihi ?

CATHARINAE.

E_51 v.1 Tum dabo pro xenio tibi me, Catharina, lubenter,
 2 reddideris postquam me, Catharina, mihi.

MARTINO FERRERIO

E_52 v.1 Si qua videbuntur nostro vitiosa libello,
 2 si qua Latina minus, si qua faceta parum,
 3 excusata sui fuerint tibi tempore patris.
 4 Non eadem recte scribit, amatque dies.

D. M. LAURAE.

E_53 v.1 Petrarcae volvens divina poemata Phoebus :
 2 "Haec est Laurus, ait, sit modo Laura licet."
 3 Dixit, et e telo prostratam his increpat : "I nunc,
 4 i nunc, et magnos impia temne Deos.
 5 Laura animam effundens Phoebum dileximus inquit,
 6 peccatumque mihi sit coluisse Deum."

AEMILIO FERRETTO.

E_54 v.1 Nil quoniam, Ferrette, mihi nisi carmina, restat,
 2 a Lusitano nil nisi carmen habes.
 3 Cetera detraxit pridem Fortuna, reliquit
 4 quidquid ego poteram dicere jure meum.

CATHARINAE.

E_55 v.1 Si quaeris Lugdunensi quid agamus in urbe,
 2 teque etiam nostri tangere cura potest,
 3 conqueror ignavam luci succedere noctem,
 4 humecto lacrimis, decipioque diem.
 5 At lacrimis crudelis Amor non vincitur ullis,
 6 e media cujus edita Mater aqua.

D. M. GABRIELIS TARRAGAE MEDICI.

E_56 v.1 Viderat, et poterat venientem evadere Mortem
 2 Tarraga, ast ultro sese fert obvius olli.
 3 Quem nati, et lacrimis conjunx compellat obortis,
 4 quo properas ? Medicas quid non praecingeris artes ?
 5 Quo properam ? Vitam, ille inquit, pro morte pacisci.

JACOBO BELNAEO.

E_57 v.1 Dum capio leporem, blandi fugere lepores.
 2 Res, Belnaee, duas non capit una manus.

D. JO. REGI LUSITANIAE MAXIMO.

E_58 v.1 Cum tibi nec vires, nec opes in proelia desint,
 2 fortuna arbitrio stetque cadatque tuo,

3 quid non finitimos ferro flammaque lacessis ?
 4 Quid non, injustum jus tibi ubique facis ?
 5 Haec tua divina est, et plane regia virtus,
 6 posse nocere quidem, nolle nocere tamen.

MEMORIAE SEMPITERNAE.

E_59 VIVENTI CATHARINAE POSUIT GO-
 VEANUS : QUI MORTUAE NEQUE DEESSE
 POTERAT, NEQUE SUPERESSE.

ARCHIPOETA.

E_60 v.1 De numero vatuum vates detraxeris omnes,
 2 hoc sane fias Archipoeta modo.

RESPONSUM AMORIS. E GAL. JO. ALBENATII.

E_61 v.1 Indutus sapientis Amor vultumque togamque,
 2 tractabat publicis vel Jove digna locis.
 3 Illi ego, per Venerem, sequitur quid amaror amorem ?
 4 Ille mihi, solus ne sit amaror amor.

SEBASTIANO GRYPHIO.

E_62 v.1 Sunt mala, sunt pejora, Gryphi, sunt pessima plura.
 2 Pauca tamen fuerint hac ratione mala.

JACOBO BELNAEO.

E_63 v.1 Cum vates numeras, quos secula nostra tulere,
 2 me vatuum in numerum jure, Jacobe, refers.
 3 Lance tamen vates si quisquam ponderet aequa,
 4 non ero, crede mihi, ponderis hujus ego.

FALSUS CUPIDO.

E_64 v.1 Barbara velato Gelasina occurrit Amori,
 2 occepitque Puer dicere, Mater ave.
 3 Illa nihil contra, ac subito velamine dempto
 4 ex oculis, doluit, subrubuitque Puer.
 5 Caece Puer, pudor unde tuus lacrimaeque ? Retecta
 6 hoc errare vides lumina posse modo.

JAC. REGINALDO ALENIO.

E_65 v.1 Quas tibi ego, Aleni, grates certissima proles
 2 heroum, magni generis magnum incrementum,
 3 quas tibi agam grates ? Variis me erroribus actum,

4 ignotum socias ultro mensaque, domoque.
 5 Quae nostris tua vel pietas, vel gratia rebus
 6 defuit ? Hospitii quae non tibi praestita jura ?
 7 O mihi tam longae Superi dent tempora vitae,
 8 officiis tecum sat erit contendere quantum.
 9 Spe quamquam sine vincendi contendere vanum est.

VIRGINIS PALLOR. E GAL. ANT. ALACRIS.

E_66 v.1 Castra locarat Amor medio sub corde puellae,
 2 et nimis in tenero pectore durus erat.
 3 Quodque magis doleas, vitam bibit artubus omnem
 4 ferreus ah nimium, sanguineusque Puer.
 5 Hic cor ubi affectas vires persensit, ab ore
 6 purpurei accivit sanguinis auxilia.

D. M. JO. MONTANI JURISP.

E_67 v.1 Montanus trepidos media de morte trahebat
 2 viribus eloquii consiliique reos.
 3 Lugebant erepta sibi sua numina Parcae,
 4 nec volvi susis ferrea fata suis.
 5 Haud mora. Montanum rapiunt sine legibus ullis.
 6 Ah non sic fatis abstulit ille reos.

PETRO ALVARO.

E_68 v.1 Pauca damus, fateor, sed inepta epigrammata, Petre.
 2 An non multa nimis dicere jure potes ?

CUPIDINI.

E_69 v.1 Te contra patriis et avidis cingerer armis,
 2 caece Puer ; sed quam pareret victoria laudem ?

CORPORIS ET ANIMI IN MORBO CONTENTIO. E GAL. CLEM. MAROTTI.

E_70 v.1 Poscit opem Corpus medicam ; Mens solvere terra
 2 aestuat et medicas respuit usque manus.
 3 Corpus humum, cognata levis Mens suspicit astra.
 4 Quam dirum, o Superi, terrificumque fremunt.
 5 "Mene ita, Corpus ait, tristi succumbere morbos ?"
 6 Mens vero : "Invisas me trahere usque moras ?"
 7 "Caeca es, ait Corpus." Mens contra : "Erramus. Uterque
 8 arbitrio summi stemus uterque Dei."

CLEM. MAROTTO.

E_71 v.1 Marotte, magnum os Galliae,
 2 e Gallicis tuis bonis,

3 Latina si facio mala,
4 ignosce barbaro, et hospiti.

CLYTEMNESTRA ORESTI. E GRAECIS.

E_72 v.1 An ventre, an mamma strictum vis condere ferrum ?
2 Mamma aluit, venter te, scelerate, tulit.

PETRO CASTELLANO EPISCOPO LIBELLUS.

E_73 v.1 Dum fugio durum terraque marique Parentem,
2 orbe vagum Gallo septima luna videt.
3 Exsul ego, sine patre, tuo modo numine tutus,
4 ignoto quamvis orbe, superstes ero.

CATHARINAE.

E_74 v.1 Confiteor, duro longum obluctatus amori,
2 nolebam Pueri subdere colla jugo.
3 Implorabam amens doctas cum fratre Sorores,
4 et venatricis numina casta deae.
5 Non mihi Phoebus opem misero, non Musa ferebat,
6 non canibus toties Delia visa meis.
7 Vicisti ; vicisse tamen tibi gloria nulla.
8 Mollis homo cecidit vulnere, diva, tuo.

HUGONI SALLELIO.

E_75 v.1 Eia age, cresce, meo dico si forte libello,
2 ille mihi contra, non sapis hercle, Pater.
3 Cum rogito causam, ridens sic ille, libellus
4 ut placeam, speras posse placere librum ?

JACOBO TEVIO.

E_76 v.1 Si mihi quam stupida est, tam lingua diserta fuisset,
2 dixissem quam sit lingua diserta tibi.

D. M. POMP. TRIVULTII.

E_77 v.1 Hunc quisquis tumulum vides,
2 Pomponii tumulum vides,
3 Trivultii tumulum vides.

D. M. SIBYLLAE BARCIAE.

E_78 v.1 Dum Pater ipse hominum caelis inferre Sibyllae
2 et mentem, et mentis terrea claustra paras,
3 en Tellus natae collo dans brachia circum,

4 "Patri animum, Matri reddito corpus", ait.
 5 Nata piaae justas lacrimas miserata parentis,
 6 liquit materno corpus inane sinu.

ANTONIO ARLERIO.

E_79 v.1 Prima meae viridis deliramenta juventae
 2 nonne aliquid falso dicis, et esse putas ?
 3 An vero (nec enim tantum scelus excidat ore)
 4 sanum iudicium, lingua modesta tua est ?

JANO HABERTO.

E_80 v.1 Quae tu pauca putas Epigrammata, Jane, putarim
 2 si bona, multa satis ; si mala, multa nimis.

JO. ALBENATIO.

E_81 v.1 Velle tuum nomen nostris me tradere chartis,
 2 est, puto, cum scriptis velle perire meis.

D.M. JO. ALBERTI REOLANI.

E_82 v.1 Ne tumulum Alberti exiguum mirere, viator ;
 2 nam quo potuit cumque obtegi
 3 Albertus tumulo, doctae potuere Sorores,
 4 et Gratiae, et Pietas tegi.

FUNDANO.

E_83 v.1 Si, Fundane, rogas quam sit bonus ille poeta
 2 Publius ille tuus, Coelius ille tuus,
 3 Coelius ille tuus divinae Persidos auctor,
 4 optimus est medicus Coelius ille tuus.

CLARIO.

E_84 v.1 Ut caelo se Rufinus lapsum esse putarit,
 2 Rufino ignotus fecit uterque parens.

JAC. BELNAEO.

E_85 v.1 Ex juramento veteres Laurentius omnes
 2 emendaturus. Si posuisset, erat
 3 si nescis vires ultra cur ausus, et artem,
 4 in promptu causa est, relligiosus erat.

BASSA.

E_86 v.1 "Conjugis (horrendum visu) Bassae astitit umbra,
 2 quem Galla perederat lues."
 3 Dixit et, o vitae quondam pars altera nostrae,
 4 si qua pietas, si qua est fides,
 5 his miserum tandem flammis precor eripe : at illa,
 6 sudore tibi conjunx opus.

D. M. FRANCISCAE PERUSIAE. VENERI.

E_87 v.1 Quid, quod in aetatis Francisca Perusia flore
 2 erepta est, flesti tuque Puerque tuus ?
 3 Quid flesti ? Poterat siquidem nihil addere formae,
 4 virtuti, ingenio virginis ipsa dies.

CAROLO MARTHANO.

E_88 v.1 Dicunt pastores, dicunt me Carole vatem.
 2 Dicunt pastores, sed non ego credulus illis.

JAC. BELNAEO.

E_89 v.1 Ecce repente ferax uno dat Gallia partu
 2 Doletum iambico trucem,
 3 Macrinum curva narum testudine Divum
 4 restinguere ardentem minas,
 5 Borbonium Latiis salibusque jocisque fluentem
 6 Nugisque gratum seriis,
 7 vosque o Vultei, Brixi, Marthane, Ducheri,
 8 sacrae decora Poeseos.
 9 Si, quid agam, nescis, numero, Belnaee, poetas,
 10 quos Gallia protulit ferax.

FRANCISCO MELLIO.

E_90 v.1 Nostra tuos oculos si pagina venerit ante,
 2 divinas Melli pertigeritque manus,
 3 parce, precor, chartis, misero quoque parce parenti :
 4 nil ego, nil chartae commeruere meae.
 5 Ter voluere mori, ter edaci perdere flamma,
 6 conanti patriae ter cecidere manus.

INFANTIO.

E_91 v.1 Erro, loquax, vanus, mendax, effronsque petaxque,
 2 ingratus, nequam, dissimulator, iners,
 3 cur sit Joannes Michael, si forte requiris,
 4 infanti, monachum scito fuisse senem.

SANCTO AMANTI EQUITI HIEROSOLYMITANO MERITISS.

E_92 v.1 Sancte tuos casus, terrae, pelagique labores,
 2 longas et innumeras vias,
 3 postponam ne Ithaci variis erroribus ? Ille
 4 fatis agitur ultoribus.
 5 Sancte tua tu sponte fretum, terrasque, cadentem
 6 solem atque nascentem vides.
 7 Illum magnae agitant noxae maria omnia circum,
 8 virtus te animi tui inclyta.

JUL. CAES. SCALIGERO.

E_93 v.1 Heroem te non Trojani nomen Iuli,
 2 Scaligeraeve facit gloria prisca domus.
 3 Quid tibi opus proavis ? Tua te facit inclita virtus
 4 semivirumque deum, semideumque virum.

MEMORIAE SEMPITERNAE.

E_94 CERCOPITHECUS CATHARINAE, QUI
 HIC JACET VIATOR, CUM TRIDUI DOMI-
 NAE ABSENTIAM FERRE NON POSSET,
 VITA DECESSIT. ANIMALI HOMO MOR-
 TEM NON INVIDEAM ?

HECUBA. E GRAECIS.

E_95 v.1 Haerere ut natae vidit cervicibus enses
 2 Cisseis, niveas dilaniata comas
 3 incusat caelum, terras, incusat Achillem,
 4 heu pia, sed natae nil valitura parens.
 5 "Hectora raptavit vivus : secum auferet Orco
 6 relliquias partus mortuus ille mei ?
 7 Quo nati, Aeacidem laesistis crimine ? Saltem
 8 saltem utero immitis parceret umbra meo."

CATHARINAE.

E_96 v.1 Alma fave dixi gemini dea mater amoris :
 2 respexit vatem casta Diana suum.
 3 Obstupui, divaeque manus cum voce tetendi,
 4 "Sum Dea, sum casti miles amoris ego."
 5 Illa nihil, subitoque, oculos avera, refugit.
 6 Hem, nequedum miseret te Catharina mei ?
 7 Urar ego ? Moriar prudensque sciensque vidensque ?
 8 Sitque mihi vitae consuluisse nefas ?

BAVIO.

E_97 v.1 "Incipio, dicis mihi saepius, esse poeta."

2 Si verum narras, incipis esse miser.

BENEDICTO CRASSO.

E_98 v.1 Si qua suo fuerint, ut erunt, indigna parente,
 2 edita temporibus scito fuisse meis.
 3 Hinc crudelis amor, hinc me torquebat egestas,
 4 turpior haec, multo durior ille tamen.
 5 Sola mihi requies, et lenti temporis usus,
 6 non est ingenio fama petita meo.

LIBELLO.

E_99 v.1 Dum tibi, parve Liber, noctesque diesque laboro,
 2 constitit ante oculos casta Diana meos.
 3 Dixit et : "O leporum Vates oblite canumque,
 4 cur opus aggredieris desidiose novum ?"
 5 Haec erat illa fides, mihi quam felicibus arvis
 6 Vasconiae quondam perfide saepe dabas ?
 7 Quid tibi monstravi saltus ? Quid tecta ferarum ?
 8 Quid celeres egi per juga summa canes ?
 9 Quid docui, dum ferventi sub Sole jaceret
 10 nostrum gramineo fessus uterque toro,
 11 quae canibus, quae sit lepori natura fugaci,
 12 quae venatorem tangere cura potest,
 13 quae canibus dederit blandis medicamina Chiron ?
 14 Scilicet ut caperent irrita verba noti.
 15 Mitte sales Latios, interruptumque laborem
 16 perfice : nugarum quisque poeta bonus."
 17 Haec ait, atque oculis sese mortalibus aufert,
 18 attonitum vatem deseruitque suum.
 19 Parve liber, divae monitis parere necesse est :
 20 consulit illa tibi, consulit illa sibi.
 21 Ignoscent tibi Virgilii fortasse libello :
 22 quam veniam numquam promereare Liber.

LECTORIBUS LIBELLUS.

E_100 v.1 Parcite, lectores, periturae parcite chartae :
 2 ut peream, vestra non eget auctor ope.
